

Lösung von Pastoral-Fällen.

(Vgl. unſ. Monatsſchrift II. Jahrg. S. 308.)

Num potest aegrotus, sensibus destitutus,
sacramentaliter absolvi?

Quaestionem hanc jam saepius motam et ob practicam utilitatem quam maxime gravem secundum opus: „Homo Apostolicus“ a. s. Alphonso de Ligorio, ita solvendam esse censi.

Poenitentia accipitur uti virtus et uti sacramentum. Uti virtus definitur: „Virtus tendens in destructionem peccati, quantum est offensa Dei medio dolore et satisfactione. Uti sacramentum: „Est sacramentum consistens in actibus poenitentis et in absolutione sacerdotis.“ Quoad sacramentum igitur requiruntur actus poenitentis, seu materia, absolutio, seu forma, a ministro, et quidem sacerdote, prolata. Materia sacramenti et quidem remota juxta s. Thomam sunt peccata: proxima juxta eundem doctorem, et a concilio Trident. quasi materia nuncupati, sunt actus poenitentis, contritio, confessio et satisfactio. Satisfactio tamen non est pars essentialis, ut sunt duae primae, sed tantum integralis. Forma hujus sacramenti sunt verba sacerdotis: „Ego te absolvo a peccatis tuis“, et secundum Rituale romanum et dioecesanum una cum oratione: „Dominus noster Jesus Christus etc., dum

conc. Trident. sess. 14. c. 3 dicit tantum quod, excepta forma, aliae preces laudabiliter adjunguntur.

Minister sacramenti est sacerdos, nam solis sacerdotibus data fuit peccata remittendi potestas: „Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata etc.“

Quod sacramentalem aegroti sensibus destituti absolutionem attinet, ex praedictis sequentia veniunt notanda.

Quaeritur, num moribundus sensibus defectus confessionem petierit et poenitentiae signa dederit? Moribundi, qui confessionem petiit et poenitentiae signa dedit, contritio et confessio per testes satis sensibiliter confessario sunt notae; satisfactio vero non est essentialis, sed integralis pars, et hoc in casu in patienti et constanti in Dei voluntatem subiectione et in laeta et libera mortis susceptione consistit, teste Ligorio: „nulla poenitentia est Deo magis accepta, quam mortem in peccatorum expiationem libenter acceptare: nullus actus perfectior est, quam mortem accipere in Dei voluntatem exequendam.“ Conc: Trid. sess. 14. cap. 9. docet praeterea, tantam esse divinae munificentiae largitatem, ut non solum poenitentis sponte a nobis pro vindicando peccato susceptis aut sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus a Deo inflictis et a nobis patienter toleratis apud Deum Patrem per Christum Jesum satisfacere valeamus. Materia poenitentiae ita vindicata et forma praescripta a sacerdote, solo ministro, prolata moribundus sensibus defectus in tali casu sacramentaliter absolvi potest.

Ita etiam docent Bellarm: Sotus, Suar. Lugo Conc. Salm., etc. cum S. Thoma qui dicit: Si infirmus,

qui petit unctionem, amisit notitiam, vel loquelam, ungatur sacerdos; quia in tali casu debet etiam baptizari et a peccatis absolvi. Et hoc currit, ut dicit S. Antoninus relatus in Sacerdotali romano apud Lugo, etiamsi infirmus diutius fuerit habituatus in peccatis et confessus non sit. Hoc probatur ex Conc. Arausicano in can. qui recedunt 26 q. 6 et ex Conc. III. et IV. Carthaginensibus et a S. Leone Papa in can: 15. qui 26. q. 6. et denique ex Rituali rom. ubi dicitur: „Etiamsi confitendi desiderium sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est.“ Nec obstat decretum Clementis VIII., quo proscripta fuit confessio facta in absentia confessarii, sed hic Pontifex expresse dicit: „Hoc in nostro casu debere omnino absolvi.“

Quoties de materiae valore probabilitas habetur, sacramentum absolute conferri debet; quoties autem dubium prudens habetur, sub conditione tantum. Alii et tenent in nostro casu absolutionem sub conditione esse dandam; et haec opinio dicit Ligorius, mihi videtur tuta, praecipue cum dubitatur (prout facile dubitari potest in rudibus), an poenitens neene rite actum doloris elicuerit.

Moribundo autem, sensibus destituto, qui nulla dat nec dedit poenitentiae signa, materia sacramenti dubia est, quia prudens habetur dubium, quod moribundus, antequam sensibus destitueretur, aut in aliqua intervalli luce suae damnationis periculum agnoscens velit ac etiam petat absolutionem signis sensibilibus, v. g. suspiriis, oculorum aut oris motibus, aut saltem respiratione anxia, quam ostendit, aut aliis nutibus; licet huiusmodi signa non possint perspicue percipi, sed ipsa aut eorum dubium jam sufficiunt ad dandam absolutionem sub conditione, nam necessitas efficit, ut

in quocunque dubio licite administretur Sacramentum sub conditione, dum per conditionem jam reparatur sacramenti injuria, et eodem tempore prospicitur proximi salutis. Et sacerdos sub gravi tenetur, absolvere infirmos, ut cum multis Julius Papa ex can. 26. q. 6.: „Si presbyter poenitentiam morientibus abnegaverit, reus erit animarum.“

Et cum Merbesio, Malin. Candem. Pontio, Salmeron, Juvenin. Conc. et Croix id clare docet etiam Augustinus: „Quae autem, ait, baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si forte poenitentem finiendae vitae periculum praeoccupaverit, nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suae pacis exire velle debet Mater ecclesia.“

Absolutio conditionata in mortis momento dari debet peccatori, qui sensibus destituitur in actu peccati, v. g. in adulterio vel duello. Hacce opinione uti possumus ob S. Augustini auctoritatem dicentis: „Qui . . . retinent adulterina consortia, si desperati et intra se poenitentes jacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos puto. Quis enim novit, utrum fortassis adulterinae carnis illecebris usque ad baptismum statuerint retineri? Quae autem baptismatis eadem reconciliationis est causa, si forte poenitentem finiendae vitae periculum praeoccupaverit. Et: Quis enim novit, utrum etc. dicendo, supponit certo tales peccatores nullum certum suae conversionis signum praestitisse. Certe de quolibet Catholico praesumi potest, quod in brevissimo usus rationis intervallo optet, quomodo fieri potest, damnationem suam aufugere.“

At haereticus, licet detsigna poenitentiae, non potest absolvi, nisi expresse absolutionem petat.

Ex his dictis et testimoniis allatis certe materia aut

vera aut dubia sacramenti probatur, hinc etiam aut expresse aut sub conditione (aegrotus) moribundus, sensibus defectus, tam sine periculo sacramenti injuriae quam ad veram proximi salutem sacramentaliter absolvi potest.

(Fortsetzung folgt.)
